







~~1711~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

W-44.

SIGNAT. 1515 CCCXIII.





EXERCITATIONUM PHYSICARUM  
DISPUTATIO OCTAVA.

De

# STELLIS,

BONO cum DEO

In illustri Lencore à ad ventilandum publicè placido Eruditorum  
examini proposita.

PRÆSIDE

M. JOHANNE FRID. Tatinghoff

Enchusa - Batavo.

Respondente

(S O.)

MATTHIA SETHO

Welov. Boruss.

ad d. 25. Febr.

---

WITTEBERGÆ.

Excudebat JOHANNES HAKL. MDC LIII.



1.05

卷之三



## Exercitationum Physicarum DISPUTATIO VIII.

### THEISIS I.

**Q**uoties oculi nostri ingentem illum stellarum, ac Sydern rutilantium tractum, intuentur, & aspiciunt, toties rapitur quisque vel nolens in admirationem, & laudem istarum facularum lucidarum autoris & creatoris: ut eum Davide, psalmo 19. exclamare necessum habeat. Celi enarrant gloriam Dei & opus manuum ejus, firmamentum: ita ubique in iis pulcherrima observatur structura, & ordo stravissimus; sed ut dūsīnālā tānālālā ita & hēc de stellis doctrina difficilis admodū est, & incerta: cuius incertitudinis rationem dat Aristoteles lib. 2. de Cælo c.3. i.17. πόρρω δεν πειρωμένοις ποιεῖθαι τὴν ζήτησιν πόρρω δίχι, ὅτω τῷ τόπῳ πολὺ δέ μᾶλον τῷ τῶν συμβεβηκότων αὐτοῖς περὶ πάμπαν ὄλιγην ἔχειν αἴσθησιν. id est Eminus tentantibus facere questionem, longo autem non adeo loco, sed multo magis quod eorum, quae accidunt ipsis, de admodum paucis habemus sensum. In quibus verbis duas causas incertitudinis circa cælestia corpora innuere videtur Philosophus (1) quod sydera nimium à nobis distent. (2) quod multa quæ circa astra in Cælo evenire solent, sensus nostros effugiant. Non desperandum tamen de bono circa hanc doctrinam successu. Präverunt nobis hāc in materia Viri Excellentissimi & nobis glaciem fregerunt, nostrum est majorum industria bene uti, observationesque tum Antiquorum, tum Recentiorum Astronomorum & Physicorum inter se, & cum rei Naturā & veritate conferre & ad recte rationis lacentem appendere. Ad quod multum facit inventio Telescopii & tubi optici, quorum primus inventor laudatur Jacobus Metius Alcmariensis Batavus (qui, ut Frater ejus, Adr. Metius narrat lib. 1. c. 1. p. 5. tract. de primo Mobili, generali suo tubo, ad trium milliarium distantiam literas distincte legere poterat) qvorum beneficio brevi tempore qvo cognita sunt, jam in cœlo nova Sydera, & in terra

A 3

Novæ

nova alia corpora, numerosiora iis, quæ ante a visa fuerant, detecta sunt, adeo ut ea sicut lequitur Nob. Renat. Cartesius c. i. Dioptric. §. I. promota luminis nostri acie ultra terminos, quibus imaginatio Majorum sistebatur, viam nobis videantur simul aperuisse ad majorem & magis absolutam naturæ cognitionem. Postquam igitur ea quæ ad cœli speciam naturam, præcedente disputatione vidimus, postulat Naturæ ordo, ut iam ea quæ de Stellis disquiri possunt, pauus proponamus.

2.

**Definitio  
Stellarum**

*Stellæ sunt corpora naturalia, simplicia, lucida, quam proximè globosa, semper mobilia, ex luce primogenia ad salutem inferiorum producta. ubi merito ponderamus Genus & Differentiam. Genus est corpus naturale simplex: stellæ corpora sunt quia materiali habent, & extensionem determinatam: simplicia corpora sunt, non absolute, quasi nulla daretur in ipse compositio, sed etiam & in genere corporum: simplicitas itaque ea non removet omnem compositionem, sed eam solum quæ in corpore a natura ultra compositionem, quæ ad esse corporis necessaria est, requiritur, veluti est ea, quæ ex elementorum mistione est. Differencia complectitur causas, Efficientem sc. Materiam, Formam & Finem, De quibus speciem aliquantum prolixius erit disserendum.*

**Efficiens  
Stellarum  
causa.**

*Efficiens Stellarum causa solus est Deus Opt. Max. qui sicut altero statim Creationis die ipsum Firmamentum, & Cæli expansionem condidit, ita & quarto stellas: de quo ipse Mosche satis clarè & aperte Gen. 1, 16. Fecit Deus dico luminaria (הַמְאֹרֶת) magna, luminare majus ob dominium diei, & luminare minus ob dominium noctis, & stellas, & posuit eas Deus in firmamento cœli, ut illuminarent Terram, & uepræcessent diei at nocti: & vidi Deus quod esset bonum, fuitq; vespera & mane dies quartus. Ex quibus verbis ulterius etiam agnoscere licet Catharini & Eugubini summam impietatem, qui contra expressa Spiritus Sancti verba negare haud veriti fuerunt, stellas quarto die esse, creatas.*

4. De

De Materiâ Stellarum non eadem est Philosophorum sententia. Veteres plerique stellas ignea esse corpora statuerunt, ab iisque igniculis continuâ, validâq; ejaculatione in terram profundi, quibus inferiora hæc incalescere opinati fuerunt: Hæc opinio ex Recentioribus, Patronos invenit multos, eosq; vires in Physicis, & Astronomicis egregiè doctos. *Basso lib. 2 de Cælo Intent. 3. art. 4.* & aliis in locis docet, stellas integrum atomorum ignearum mare eructare, easque ad nos evibrare. *Claud. Berigardus circuit. 8. de Sole & ceteris Planetis p. 114.* in eo laude dignos judicat veteres, quod Solem igneum & ignis Parentem esse dixerint: & paulo post recenset veterum opinionem circa stellarum naturam. *Thales*, inquit, existimavit stellas esse ignitas, *Empedocles* accensas eo igne quem Æther elicit; *Anaxagoras* esse lapides adustos, ex quibus eum lapsum dicebat, qui sub Principe *Dimylto* in fluvium capræ eccliderat, ut refert *Plutarchus de placitis Phil. lib. 2*. *Laertius* tamen in ejus vita ait, solem esse ferrum candens secundum *Anaxagoram*. *Pythagoras* solem & reliqua sydera Deos esse docuit, quippe in illis calorem superare, qui sit vita autem. *Philotlaus Pythagoreus* dixit quidem Solem esse discum vitreum, sed tamen qui collectum ignem ad nos reverteret. *Epicurus* denique Solem esse dixit terram compactâ instar pumicis, ab igne accensam. Quod tamen per quandam tantum similitudinem dici, vult *Berigardus*: Dicere possumus, inquit, cum Philosophis antiquis, & S. Patribus, igneum esse Solem, quem sive pumicem adustum appellemus, sive ferrum candens, meminisse oportet id dici per quandam similitudinem, quod nimirum sit veluti massa pumicosa ex compluribus naturis concreta, & in suis meatibus continens corpora ex vicinis spatiis collecta, quæ in flamas subinde dissolventur. *Cl. Kyparus instit. Phys. lib. 4. c. 1. p. 21.* etiam non admodum est alienus à veterum opinione: hoc tamen videtur peculiare habere, quod statuat, Astra non esse simplicia corpora, adeoque nec simplices ignes, multo minus carbones accensos, sed corpora mixta, ex quatuor elementis conflata, ita tamen ut quoad qualitatem

Materiâ  
Stellarum  
Veterum  
opinio.

visibilem in plerisque ignis, aut lux primogenita (quam ab igne non differre ostendit. lib. 2. instit. Phys. c. 2. p. 364.) prædominetur; ubi tamen excipit Lunam, & alia quædam sydera obscura, quæ vix aliquid prædominantis lucis testimonium præbent. Hanc tamen sententiam qua sydera statuantur igneæ esse naturæ, accuratè refellit Jac. Zabarella lib. de Calore Cœlesti c. 1. Colom. 556. Si Sol esset igneus, inquit, & hac ratione calefaceret, non minus in hyeme calefaceret, quam in æstate, quia propter Cœli rotunditatem Sol in omnibus Cœli partibus æquè distat à nobis, quare sive sublimior incedat, ut in æstate, sive humilior, ut in hyeme, eundem facere calorem deberet: quoniam ut hoc in igne nostro experimur, eadem ejusdem ignis distantia eundem calorem facit, resq; ita est manifesta, ut omni dubio careat: adde, quod si Sol esse igneus, deberet juxta Astrologorum opinionem magis calefacere in hyeme quam in æstate, quia in hyeme propinquior nobis est, qvum sit in perigæo, in æstate autem remotior, qvum sit in apogæo quam vocant augen. Præterea si Sol esset igneus, ideoque calefaceret, media aeris regio, tanquam illi propinquior, magis caleficeret, quam hæc infima, quæ remotior est. Dices, quomodo ergo Sol & Astra, si formaliter calida non sint, hæc inferiora calefacere poterunt? Respondeo Solem per effluvia ignea & calida, virtute suâ è terrâ educta & in aerem elevata, inferiora hæc corpora calefacere, hinc quo loca humidiora, eo frigidiora, quod norunt ij qui ad mare habitant, ex eo quod aquæ illa effluvia sursum evecta beneficio Solis & Lunæ, magnum frigus excitare soleant: aqua enim omnis frigidæ est naturæ. Inanis itaque est D. Kypri sententia, vel potius conjectura, quando putat quædam sydera formaliter etiam frigida esse, ex eo quod multa sydera ut Luna &c, nostram terram frigefacere soleant: Distingendum aaccuratè est inter id quod fit per se, & quod fit per aliud: nō ex se & propriâ naturâ, Luna aerem nostrum frigefacit, sed per effluvia & vapores ex terrâ & aquaeductos.

Aristoteles opinio.

§.  
Aristoteles qui lib. 2. de Cælo c. 7. s. 41. acerrimè contra Veteres

res de fendit, sydera nec ignea, nec caloris aliquid in se conti-  
nere formaliter, voluit stellas esse densiores sui orbis partes: nā  
si tenues, inquit, & pellucidæ forent stellæ, non magis splende-  
rent, aut lucem concipere possent, quam reliquum orbis corp9:  
quod tamen in alia sui parte neque lucet neque splendet. Nam  
in reliquo sui corpore orbis ille, cui stella illa est infixæ, subtili-  
or est, pellucidior, atque tenuior, & propterea transparens &  
pellucida, ut lumen nullum emittere possit. *Vid. Joh. Magiri  
Comment. in Physiol. suam lib. 2. c. 4. p. 745.* Hanc suam sententiam  
Arist. probat 2. lib. de Cœlo c. 7. In simplicioribus corporibus par-  
tes ejusdem sunt naturæ cum toto. At Cœli corpus est simplex,  
& stellæ sunt ejus partes. E. stellæ ejusdem sunt cum Cœlo, cui  
inhærent, & quo cum in orbem rapiuntur, naturæ & essentiæ.  
Verum hujus argumenti, in quo tamen omne suum præsidium  
collocant Peripatetici, minor apertè falsa est. Stellæ enim non  
magis Cœli sunt partes, quam pisces, aquæ vel volucres aeris. A-  
ristotelis autem sententiam absurdam esse patet inde, quia sy-  
dera omnia specie differunt, cœlum autem est ejusdem essen-  
tiæ. At quæ sola condensationis varietate differunt, illa neuti-  
quam specie diversa esse possunt: ne jam dicam ipsum Peripa-  
tum suam quintam essentiam evertere, dum densitatem & rari-  
tatem Cœlo & Stellis tribuit, quæ qualitates secundæ tactiles  
sunt à primis ortæ, unde metuendum erit imposterum Peripate-  
ticis de peculiari ipsorum Cœli prærogativâ, nempe quinta es-  
sentia.

## 6.

*Nob. Renatus Cartesius part. 3. princip. Philos. S. 54. Et c. p. 91.*  
demonstrat, Solem & stellas constare ex materiâ primi Elemen-  
ti (de quâ disputatione præcedenti) earumque generationem i-  
ta describit. Crevit initio paulatim materia primi Elementi  
ex eo, quod particulæ secundi, assiduo motu se invicem magis  
ac magis attererent, cumque major ejus quantitas fuit in uni-  
verso, quam necesse erat ad implenda exigua illa spatia, quæ in-  
ter particulas sphæricas secundi elementi, sibi mutuo incumbē-  
re perirent, quicquid ex ea residui fuit, postquam spasia il-

*Cartesio-  
pinio.*

la impleta sunt, ad centra S, P, f. confluxit, ibique corpora quædam sphærica fluidissima sive rotundæ Soles, composuit: quorum ille, qui est in centro vorticis S, quia ob vicinitatem solus maxime splendet, Sol, cæteri verò in centris aliis fixæ vocantur: Postquam enim particulæ secundi Elementi fuerunt magis attritæ, minus spatiū occuparunt, quam prius: nec ideo ad centra usque se extenderant, sed ab iis æqualiter omni ex parte recidentes, loca ibi sphærica reliquerunt, à materiâ primi Elementi, ex omnibus circumiacentibus locis eo affluente, replenda. Verum ut ut hæc Stellarum fabrica à Cartesio ingeniosè sit exagitata, cum rei tamen veritate, ac creatione Mundi à Mosche descripta haud convenit: qui testatur, Stellas non per motum aliquem globulorum æthereorum attritorum, & sic successive esse productas, sicut nunc terrestria corpora mista producuntur per motum, & alias actiones, sed à Deo ipso immediate statim cum omni sua perfectione esse creatas: quod nec ipse Nob. R. Cartesius diffiteri potest: Nō enim dubium est, inquit, §. 45. part. 3. princip. philos. p. 84. quin mundus ab initio fuerit creatus cum omni sua perfectione, ita ut in eo & Sol, & Terra & Luna, & stellæ extiterint, ac etiam in terra non tantum fuerint semina plantarum, sed ipsæ plantæ, nec Adam, & Eva nati sint Infantes, sed facti sint adulti. Hoc fides Christiana nos docet, hocq; etiam ratio naturalis plane persuadet. Attendendo enim ad immensam Dei potentiam, non possumus existimare illum unquam quicquam fecisse, quod non omnibus suis numeris fuerit absolutum. Hinc part. 4. princ. phil. §. 1. de Terra. ipse non vult credi, corpora hujus mundi aspectabilis genita unquam fuisse, illo modo, qui supra ab ipso descriptus est. Quod bene observandum est, ne Lector legens eius scripta existimet, res naturales ita esse productas, prout ipse describit: Scopus enim R. Cartesii tantum fuit ostendere, quomodo res naturales omnes fieri potuissent, licet ipsæ sic factæ revera nunquam fuissent: nam sicut, inquit, ab eodem artifice duo horologia fieri possunt, quæ quamvis horas æquè bene indicent, & extrinsecus omnino similia sint, intus tamen ex valde dissimili rotularum compage constant, ita non dubium est, quin sum.

Summus rerum opifex, omnia illa, quæ videmus, pluribus diversis modis potuerit efficere, Conf. §. 204. part. 4. princ. Philosoph.

7.

Nostra, & verior sententia est, Materiam Stellarum esse lucem primævam primò die à Deo factam. Lux enim quia terminus creationis fuit, substantia suit, & quia substantia, ideo à Deo postea destruta, & in nihilum redacta non fuit, eo quod substantia illa bona erat: Esto lux, inquit Deus, & erat Lux: & videt Deus, quod lux ista bona erat. Recit. Thomas p. i. Summ. Theol. q. 67. art. 4. resp. ad arg. 2. Scriptura in principio Genes. commemorat institutionem naturæ, quæ postmodum perseverat: unde non debet dici, quod aliquid tunc factum fuit, quod postmodum esset desiderit. D. Polycarpi Lyseri tamen sententia est in c. i. Gen. p. 21. Lucem illam fuisse quandam ἐνέργειαν, vel vim & virtutem, quam deinde Deus certa quadam mensura distribuit in corpora cœlestia, ignea, aëria, & aquæ, quæ singula, quo magis à terra, in cuius abysso tenebræ manent, sunr defecata, eo magis sunt diaφavη & pellucida.

Nostra

sententia.

8.

Quid de Stellarum forma sit sentendum, non inter se conveniunt Philosophi. Veteres, ut Thales, Heraclitus, Democritus, Pythagoras, aliique, Stellarum formam animam dixerunt: quibus adstipulatur Cicero 2. de nat. Deorum. Hanc in Stellis constantiam, hanc tantam tam variis cursibus in omni æternitate convenientiam temporum non possum intelligere sine mente, ratione, consilio. Eandem hanc sententiam tenent Judæi, Conf. Maimonides in Mishna tract. cap. 3. sect. 9. ubi notanda illa verba וְעַד־הַכּוֹבִים וְגַלְגָּלִים מֵעַד־ מַרְעַת הַמֶּלֶךְ וְגַהֲלָה מַרְעַת בְּנֵי אָדָם id est, Minor est Stellarum & orbium cognitio, quam Angelorum, major verò quam hominum. R. I. Badreschita tamen in c. 18. p. m. 102. 103. vix aliquid discriminis ponit inter Angelos & spheras. Hæc deliria ab orco quasi revocarunt Patritius, & Rodinus qui itidem stellis intellectum attribuerunt, ut & Thomas Campagna in lib. de sensu rerum, dum Stellis omnibus, ut & corporibus cæteris naturalibus sensum, & vitam attribuit. Nec scio, an Bassi ab hac sententia etiam valde sit alienus Cœuf. lib. i. de Cælo

Forma.

Veterum opinio.

B

intend.



intend. 4. art. 1. 2. 3. 4. &c. D. Kyporus ιτας χειν hic mavult lib. 4. de  
stellis c. 2. p. 29. putat tamen Platonis sententiam valde prababi-  
lem esse, qua afferitur Stellis non quidem inesse animam aliquā  
specificam, puta rationalem, sensitivam, aut vegetativam, sed  
generalem quandam, quae est virtus quædum ιτεργεληνη commu-  
nis, & cognoscens, materialiter tamen. Verum eo ipso quod  
adversarii isti animæ attribuunt cognitionem aliquam, & qui-  
dem materialiter, eo ipso etiam stellis animam adscribunt spe-  
cificam sensitivam: Bruta certè non nisi materialiter res cogno-  
scunt. Canis dum intuetur panem, cognoscit panem materiali-  
ter solum, non vero formaliter, quod homini, & rebus intel-  
lectu præditistantur est proprium. Ergo qui admittit in Stel-  
lis cognitionem materialiter, is cogitur etiam ipsis tribuere a-  
nimam sensitivam: Et sic Stellæ visum, olfactum, tactum, gus-  
tum, & auditum habebunt: quod ατεπον, cum isti sensus sine  
organis esse nequeant, quæ tamen in stellis non deprehendun-  
tur. Quod si verò eum nonnullis ex antiquis, Stellis animam a-  
liquam vegetativam assignare velimus, etiam actiones vegetati-  
væ attribuendæ forent, ut accretio, nutritio &c. quæ sicut in  
stellis non observantur, ita neque sine idoneis instrumentis per-  
agi possunt: Sed Veteres fortè aliud nutritionis genus habent, u-  
ti quidem existimat Basso, loco supra cit. Nempe sicut vel dor-  
mientibus, vel ludentibus nobis, partes naturales alimentum at-  
trahunt, ac convertunt, ita sine cura, aut cogitatione, nedum o-  
ris, aut dentium opera, dispersum per Vastum æthera cibum citè  
præparatum, naturalia harum stellarum instrumenta raperent,  
atque in earum verterent substantiam: dum nihilominus astrū  
nūm quodque suum cursum velocissimum peragit, de hac nu-  
tritione, quam naturæ credidit, minimè sollicitum. Verum nec  
nos docemus, omnem nutritionem ore, multo minus cogitatio-  
ne fieri, cum etiam per radices, fibras &c. ut in plantis, nutritio  
vera peragi possit. Sed tamen organa idonea, & sufficientia,  
ad nutritionem requirimus: quæ tamen stellis desunt eo ipso  
quia corpora sunt simplicia: Adde quod hoc pacto continua  
quædam in stellis daretur corruptio, & generatio, cum partes  
absumptæ quotidie restaurari deberent: quererem etiam ex ip-  
so:

so: unde illud alimentum, quo id quod de substantia astrorum  
continuo deperditur, nutritio reficeret? effluvia certa id nostra  
esse non possunt, cum ea corpora sint mixta, nec ita in altum E-  
levai soleaut; cum juxta Kepleri demonstrationem vapores non  
ultra  $\frac{1}{2}$  milliare cleventur: fortè vaporosus aliquis circum stellas  
erit aér, sed eum demonstret prius, antequam isti suam super-  
struat sententiam.

9.

*Peripatetici Veteres* in stellis nullam aliam formam, quam Aristote-  
assiscentem, puta Intelligentias orbium, & syderum motrices *lis opinio-*  
agnoscabant: verum *Recentiores* pleriq; præter assidentem, cui  
motum Astrorum adscribunt, etiam informantem ponunt  
formam: quam eandem esse docent cum forma orbium: stellæ  
enim ab orbibus juxta ipsos tantum differunt densitate, & ra-  
ritate: sed quid de hoc sit statuendum jam antè visum: quod au-  
tem nec intelligentiæ tales dari possint, disputabitur à nobis  
*infra.*

10.

Nos cuiq; stellæ specificalm suam distinctam formam in- *Nostra*  
formantem, & intrinsecam attribuendam esse existimamus: *sententia.*  
quæ in ipsis principium, & causa sit motus, affectionum, & ope-  
rationum: quaq; una stella ab altera specie differat, & distin-  
guatur: diversæ namq; atq; oppositæ operationes ac effecta in  
Astris, diversas etiam arguunt formas, & naturas: in quo nam  
autem hæ stellarum formæ consistant, humani intellectus non  
est determinare: hoc saltem scimus eas esse substantias ( essen-  
tiâ, non existentiâ) immateriales, quibus stellæ sunt, quod sunt,  
& per quas illæ suas habent affectiones & operationes; mo-  
ventur enim stellæ in æthere subtilissimo, ac liquidissimo motu sibi  
in ipsa statim creatione à summo Numine indito: qui tamdiu  
manet salvus, donec eum cum reliqua Mundi machina destruat  
Universi rector & director, Deus: radios etiam ac lumen sua-  
luce diffundunt, ac per totum hoc nostrum hemisphærium spar-  
gunt, calorisq; virtualis benificio omnia fovent, ac vegetant,  
& in inferiorem hunc nostrum orbem agunt, operanturq;.

B 2

ii. Finis

**Zinis.**

Finis astrorum duplex est Primarius & Secundarius: ille est illustratio gloriae divinae: & hunc finem expressit Psaltes, *cum inquit, Cæli enarrant gloriam Dei, & opus manuum ejus, firmamentum.* Et hoc est, quod nonnulli dicunt, Cœlum esse alphabetum maiusculis literis exaratum, in quo Dei majestas describitur (1) ex operis ipsius majestate, (2) ex innumerabili stellarum multitudine, (3) ex mirabili earum varietate, (4) ex illarum magnitudine: dicuntar autem Sydera, & totus cœli exercitus Deum laudare non effectivè, sed metonymicè, & objectivè. Finis secundarius est varius: creatæ enim sunt stellæ (1) ut suo lumine inferiorem nostrum mundum illustrent, & illuminent: unde etiam vocantur luminaria. (2) ut tempora describant, & tempestatum vicissitudines efficiant. Dixit Deus, Gen. 1. 14. 15. Sint Luminaria in firmamento cœli, ut dividant diem à nocte, & sint in signa, & tempora & annos, & dies. Per tempora (בָּיִת יְמִין) quod propriè notat, (stata tempora) intelligi propriè debet: quatuor anni tempora, Ver, Aetas, autumnus, hyems: hinc fertendi, metendi, plantandi, inserendi, arandi, & occandi oportunitates Mortales discunt. Anni, propter quos etiam sydera dicuntur facta, sunt vel Solares, vel Lunares. Solaris est dierum 365. & horarum circiter sex. Lunaris annus est, si ex Luna motu periodico numeretur, dierum 27. & 7. horarum. Denique ad dies faciendos data esse sydera Moses testatur: quod & experientia comprobatur. Videmus enim ab ortu Solis ad occasum diem describi: noctem vero ab occasu ad ortum. (3) ut in hæc sublunaria agant, & efficaciam suam exerceant. &c..

**Affectio-  
nes Stel-  
larum.****Lux.**

T24

Hactenus Stellarum causas breviter consideravimus: antequam ad stellarum divisionem accedamus, lubet prius quedam circa stellarum affectiones annotare: ubi maxime consideramus Stellarum Lucem, Figuram, Magnitudinem, & Motum. Lucidas esse stellas omnes, extra dubium positum esse arbitramur, & oculorum testimonio, quod hoc loco maximè attendi solet, & debet, comprobatum. An vero Lux ista sit in omnibus nativa, & insita, an vero mutuatitia, hoc est quod queri solet tam ab astronomis.

monis, quam Physicis. Plerique tamen in hoc consentiunt,  
quod stellæ fixæ propriam & nativam lucem habeant, nullam ve-  
ro mutuatitiam: quod facile etiam credet is, qui considerabit,  
quam vividos radios vibrent, ac quantum à nobis & à Sole sint  
remotæ: si enim alicujus Stellæ fixæ tam vicini essemus, quam So-  
lis, credibile est eam ipso non esse minorem, nec minus luci-  
dam esse apparituram: imo Solem si inter fixas reponeretur, ut  
stellam sextæ magnitudinis appariturum, probat probaliter *Be-*  
*rigardus circulo 9. de stellis inerrantibus pag. 121.* Probatur inquit,  
Solem inter fixas ut stellam fixam sextæ magnitudinis appari-  
turum, quia cum stellæ sextæ magnitudinis appareat 50. tertio-  
rum & Sol apogeus juxta *Tychonem* 30' minutorum, quæ con-  
tinent centum octo millia tertiorum, hæc vero continent quin-  
quaginta tertia bis millies centies & sexages: ergo si Sol remo-  
veretur plusquam distat à nobis 2160. hoc est si poneretur inter fi-  
xas, ut stella sextæ magnitudinis appareret. Quod si verum est,  
facile concedet quivis, Solem lucem omnibus stellis fixis, quæ  
innumeræ sunt, impetrare haud posse. Huic res magis adhuc at-  
testandæ, inquit *Doctissimus Phocylides c. xi. p. 193. phys. celest.* im-  
primis facit affixarum Stellarum Scintillatio. Sane, addit paulo  
post, velim illum in rerum universitate exemplum simile dari,  
ubi res ipsa ex se luce destituta, adventitiis autem radiis illustrata,  
lumen aliquod ita revibrare possit, ut illud eadem perpetuè  
Iege micare videatur, ac modo quasi se contrahere, ut tanto rur-  
sus fortius radios ejaculet, atque ita ista luminis evibrationem &  
coruscationem, quam scintillationem vocamus, oculis nostris  
ingerat, in una stella plus, in alia minus, prout aliæ atque aliæ  
causæ particulares intercurrunt. Qua de scintillatione quid sit  
sentiendū, patebit mox infra. An planetæ autem propriam & nati-  
vam lucem habeant, majus videtur dubium: Solem autem habere  
propriam, non assititiam lucem, extra controversiam ponor:  
cum tantam lucem quantam in se continet, ab omnibus fixis si-  
ne ul sumptis, mutuari non possit, cum ipsæ ad nos tantam non  
mittant, ac nullum corpus aliud apparet magis radiosum, a quo  
illum accipiat, si quod autem esset, proculdubio appareret. De  
cæteris planetis, judicamus iis aliquid nativæ lucis inesse, licet

valde debilis. Ut hoc patet in Luna, ejus lumen adeo debile est, ut nisi à Sole illustretur & augeatur nostrum hemisphærium illuminare nequeat: Hinc variæ istæ in Luna figuræ pro vario, ejus ad solem: adspectu. Simile quid ope Telescopii, & perspicillorum observatum de Venere, idemq; etiam non difficulter persuadetur de Mercurio, Marte, Jove, & Saturno, ex eo quod eorum lumen obtusius, sive placidius sit, quam fixarum & à Sole non adeo distent, quin possint ab ipso illuminari. *Cartesius* part. 2. §. 11. p. 70. *Princip. Phil.* putat, Terram quoque ratione Luminis à Luna, Venere, Mercurio, aliisque planetis non differre ex eo quia ea conflata est ex opacis corporibus quæ Solis radios excipientia illos non minus valide, quam Luna reflectunt, quin etiam nubibus est involuta, quæ licet multo minus opacæ sunt, quam pleræq; aliæ ejus partes, sepe tamen ipsas videmus cum à Sole illustrantur non minus albicantes esse, quam Lunam etc Verum obstat (1.) quod Terra à Mosche non vocetur luminare. (2) quod ea omni propria luce careat: ne jam dicam *Cartesium* falsa niti hypothesis, ac si terra esset planeta: terram enim quiescere, ac centrum mundi occupare, demonstrabimus suo loco: Planetas autem nativam aliquam lucem habere probatur ex eo, quia stellæ sunt, at stellæ omnes ex primigenia luce à Deo sunt creatæ: hinc etiam in Eclipsi, ut Luna obscuratur, aliquid tamen in ea nativi luminis observatur, ac deprehenditur. *Excipit* tamen *Cartesius* §. 12. illam esse à Terra radios à Sole receptas eam versus reflectente. Verum contra est, quod etiam in exacta diametrali oppositione terræ inter Lunam, & Solem illud lumen in Luna observetur, ubi talis radiorum solarium reflexio à Terra versus lunam locum habere non potest. *Ismael Bullialdus* ideo existimat omnibus planetis aliquid nativæ lucis inesse, concedendum esse, quia lumen solis unum, & idem existens in Planetis diversum apparet. *Saturnus* enim suppallidus videatur: *Jupiter* splendidissimus: *Mars* rubore perfusus: *Luna* argentea: *Venus* flavescentia: *Mercurius* subrutilus: hos vero colores, & luces diversas à solis radiis solaribus produci, posse impossibile judicat, dum sub uno colore omnes videri arguit. Contrarium cum accidat, infert hanc lucis varietatem convincere, Planetas ali-

anquid lucis propriae habere. Sed non videtur hic discursus pertinaci adversario omni ex parte satisfacere : cum color ille varius, qui in planetis est, & apparet, non sit verus, & fixus, sed appartenens tantum ortus ex varia luminis in subjecto aliquo receptione, ejusdemque refractione, ut patet in iride, in prisme, seu trigono vitreo, in phiala, quæ aquis limpidis est repleta. Et experientia id etiam videtur comprobare in Luna, quæ colorem suum variè mutat pro diverso Solis ad eam adspectu. Quid autem de Scintillatione Stellarum fixarum sit sentendum, non eadem est physicorum sententia. Aristoteles scintillantium astrorum causam assignare volens *2de Celo. 48.* ait planetas non scintillare, quia sunt prope nos, eoque visus facile pervenit, ad fixas vero tremunt propter longitudinem longe porrectus. Dicere forte voluit radios fixarum tremere, solet enim tribuere visui juxta communem opinionem, quod radiis objecti corporis lucidi concedendum est, ut cum *lib. Meteor.* explicat. causas iridis per spirituum ab oculis emissionem, quam negat in *I. de Sensu. Cl. Berigard. circ. 9. p. 123. de stellis inerrant.* scintillationem putat esse à radiis fixarum igneis, qui quo longius emittuntur, eo magis tremunt : fixæ igitur, inquit, maxime scintillant, quia proprium ignem maximè, & longè emittunt, planetæ minus, quoniam acceptum percutiunt non ita longe. idem sentit *Basso lib. 2. de cal. int. 3. art. 4. Job. Phocylid. c. xi. Phys. cœlest.* Sed falsa hinc nituntur hypotheses de Stellis igneis lucidos de se spargentibus igniculos: de quo supra actum à nobis. Nos arbitramur stellarum scintillationem, non veram, sed apparentem esse, quæ à varijs oritur causis: quarum præcipua est nimia distantia, & medium: ob nimiam distantiam vacillant in recipiendis imaginibus stellarum, oculi nostri: inæqualis etiam crassitudo spatii seu medii multiplicis, per quod lumen ad nos pervenit, scintillationem valde augere potest: aër enim non æqualiter ubique est distributus, sed alibi tenuior est, alibi crassior: accedit continua vaporum ascendentum motio, qua aer perpetuo moveri solet. Propterea stellæ magis scintillant ad Horizontem, quam propè verticem, boreales magis, quam australes. Hinc Optici docent, quod moto Diaphono, per quod lumen transmitti cernitur, hoc ipsum

Scintilla-  
tio.

quo-



quoque hinc inde quasi dissipari videtur & ob id scintillationem quandam oculis nostris ingerere: sicut si in flumine pellucido fluitantes formæ stellarum spectantur, plus solito ob tremulum aquæ motum crispant, & scintillant. *Cur vero id in Planetis non fiat*, docet Nob. R. Cartesius, dum ostendit, planetarum lumen omne (neque enim Sol ipsi Planeta, sed Stella fixa est) à Sole esse: Nobis arridet Scaligeri responsum, Exercit. 63. s. 1. (quod tamen frustra irridet Basso loco supra citato) propriam considerandam syderum naturam: quod ipse etiam dicit Simplicius: Stellæ differunt inter se claritate, & splendore, teste vel ipso Sacro Codice: facile utique huic aliquid accidere potest, quod non accidit aliis: putat tamen Simon Marius in *pre-Mundi Jovialis* omnes etiam planetas, sola excepta Luna, scintillare: inter quos minimè omnium Saturnum, post Jovem, tertio Martem, hinc Venerem: Mercurium autem omnium maximè scintillare.

*Figura.*

13.

Figuram Stellarum, in definitione nostra, diximus esse proximè globosam. Nonnulli ex Antiquis judicarunt Stellas planæ esse figuræ, eo quod sub ista à nobis conspicerentur. Verum sensus hic error est: cum astra sive in occasu, sive in ortu, sive in meridie sunt, æqualiter nobis appareant: quod non nisi in rotunda figura locum habet: ratio nostra præcipua pro globosa rotunditate Lunæ, & Solis petitur ex Eclipsibus, & Lunæ Phasibus: in Eclipse enim lunari, & solari pars recta non nisi circulari arcu avllitur à lucida: unde vel maxime Lunæ, & Solis rotunditas evincitur: quod si luna, & sol figura sint sphæricæ, etiam reliquæ stellæ eandem habebunt figuram. quod clarius in planetis apparet: qui cum in Epicyclis circum ferantur, non possunt semper unum & idem latus ad nos convenire, quamobrem cum rotundi semper visuntur, sequitur etiam necessario, eos esse sphæricos: figura namque sphærica hoc in primis gaudet privilegio, ut omni ex parte inspecta, & conspecta, rotunda spectetur, Non putamus tamen Stellas ita esse exacte rotundas, ut sint instar tornati alicujus circinati: globi, cum in ipsis, ope instrumentorum appendices, & exuberantiae quædam sunt observata, imprimis, in

Satur-

Saturno, Luna, & Cometis, quæ tamē earum rotunditatem impedire non possunt, nō magis ac montes & valles in tellure officiant rotunditati terreni globi; unde antem stellæ suam habeant rotunditatem conatur demonstrare *R. Cartesius* part 3. princ. philos. §. 61 à conatu globulorum secundi elementi, qvo unusquisque magna satis vi recedere conatur à centro vorticis in quoq; gratur. Cum globuli omnes, inquit, qui volvuntur circa S, in vortice AEI, conentur recedere ab S, satis patet illos, qui sunt in linea recta SA, premere se mutuo omnes versus A: & illos, qui sunt in linea recta SE, premere se versus E, atque ita de cæteris: adeo ut si non sint satis multi ad occupandum omne spatiū inter S, & circum ferentiam AEI, totum id, quod non accupant relinquatur versus S. Et quoniam ii qui sibi mutuo incumbunt (e. g. ii, qui sunt in linea recta SE) non omnes instar baculi simul vertuntur, sed unus citius, alii tardius circuitum suum absolvunt, spatiū quod relinquunt versus S, non potest non esse rotundum. Etsi enim fingeremus plures globulos initio fuisse in linea recta SE, quam in SA vel SI, adeo ut infimi lineæ SE, vicintores effent centro S, quam infimi lineæ SI, quia tamen infimi illi, citius circuitum suum absolvissent, quam superiores, nonnulli ex ipsis adjunxisse se statim extremitati lineæ SI, ut sic tanto magis recederent ab S; ideoque nunc omnes infimistarum linearum, æqualiter remoti sunt à punto S, & ita spatiū BCD, quod circa illud relinquunt, est rotundum: Sed quid de hoc discursu, & similibus aliis sit sentiendum, supra à nobis indigitatum, videtur hic solum ostendere, quomodo aliquid fieri possit rotundum, non autem illud à Deo ita factum esse rotundum. Adde quod metuendum sit, ne per talem Fabriciæ universi explicationem, structura Mundi vago, & fortuito atomorum seu corpusculorum, ut ille mavult, motui adscribatur: simili fere modo Mundi genesis veteres, inter quos Democritus explicuisse ostendit. *Magnenus* prop. 32. c 4. in democrito re vivis.

15.

Motus

Circa motum stellarum tria breviter enucleanda erunt (1) An Stellarum  
Stellæ moveantur libere, & per se, & non ad cæli raptum ac mo-

G

tum.

sum (1) Si per se libere moveantur, an à principio proprio, in-  
triæcœ, an vero ab intelligentiis motricibus, & denique (3) an  
motu unico, ab ortu nimirum in occasum, an vero duobus con-  
trariis, uno ab ortu in occasum raptu primi mobilis, altero vero  
ab occasu in ortum, à forma propria? Quantum ad primam quæ-  
stionem, breviter respondemus, Stellas omnes liberrimè move-  
ri, non aliter ac pisces in aqua, vel volucres in aere, hoc tantum  
discrimine posito, quod volucres vago in aere moveantur mo-  
tu, Stellæ vero motu ordinario & invariabili juxta leges ipsis à  
Naturæ autore in prima creatione inditas: sententia nostra vel  
in ipsa S. Scriptura maxime fundata est, quæ nunquam cælo, sed  
semper Stellis motum tribuit Conf. Es. 38. 8. Jos. 10. 13. Psal. 19. 7.  
Dein & illa per se moveri debent, quorum motus inferioribus  
est salutaris, ac commodus: Sed non cæli, verum stellarum, sy-  
derumque motus inferioribus est salutaris. Ergo & ea proprio  
motu moveri debent. Huic accedit summa Cæli fluiditas, quæ ad  
talem circumrotationem & circumvolutionem inepta plane  
est. Adde quod orbium istorum cælestium Adamantinorum hy-  
pothesis evertat motum planetarum, & stellarum errantium: si  
enim omnes stellæ orbibus suis sint infixæ instar clavorum, ne-  
cessario etiam in suo motu à terra æqualem servabunt distantiam:  
quod tamen est contra rei veritatem, & experientiam quæ  
docet Martem Sole aliquando humiliorem esse, Venerem & Mer-  
curiū Sole interdū superiores. nisi forte orbium intersectionem,  
& corporum penetrationem, statuere velint, quæ tamen in Phy-  
siciis sunt absurdâ. Quantum ad alterum quæsumum, putant Peri-  
patetici stellas moveri à forma assistente, puta intelligentiis: u-  
bi Aristoteles tot dandas putavit intelligentias, velut Ixiones,  
quot sunt orbes, ac sphæræ cœlestes: qui tamen in assignatione nu-  
meri egregiè castigatur à Conimbricens. lib. 2. de cæloc. 5. quæst.  
art. 2. ita hi cœdmai fratres mutuis se vulneribus confodiunt.  
Claud. Berigardus cœc. 10. de motu Astrorum p. 125. putat Stellas  
imprimis planetas moveri à spiritibus à Sole ipsis communica-  
tis: simili fere modo quo totus sanguis, à corde procedens ad  
cor ipsum reddit in circulum. Virtus singulorum orbium, inquit,  
qui Solem suum circumneunt, ab ipso dependet, & eo interceden-  
te abor-

te aboletur: nam dum ille circa se vertitur, impedit spiritum suis  
comitibus, quo ipsius motum imitantur, atque etiam, quo cum  
sequantur, dum alio tendit. ita Sol noster, quem dixi moveri  
circa se uno circiter mense à parte occidentali ad orientalem,  
spiritum communicat suis omnibus planetis, ut similem motum  
absolvant singulorum distantia, naturæ, ac magnitudini respon-  
dentem. Mercurio proximo, calido & parvo, tribus mensibus,  
Saturno vero remotissimo, frigido & magno 30 annis: cæteris  
media quadam proportione. Pari fere modo motum stellarum,  
præcipue planetarum, explicat Job. Phocylid. c. 14. Phys. cœlest.  
qui non aliud solis officium esse putat, quam ut, sicut omnia il-  
lustratur, lucis præ cæteris dominium in corpore suo; omnia  
calefactur, calorem; omnia quæ per hunc vivificatur, vitæ  
etiam fontem in se à creatore fortitus est; ita omnia etiam mo-  
turus, motus principium & ἐνέργειαν in se continet. Sed nec  
Berigardi, multo minus Peripateticorum sententia approbari à  
nobis ullo modo potest; quia hoc pacto proprius, isque internus  
stellarum motus denegatur, & evertitur, qui tamen necessario  
profluit, à forma cujusque rei interna. Et certe si stellæ vir-  
tute Solis, id est, à principio extrinseco moventur, sequitur  
stellæ eas naturaliter propensionem habere ad quietem: Si enim  
denegatur ipsis motus intrinsecus, ergo quies intrinseca ipsis at-  
tribuenda erit: juxta axioma logicum: cui contrariorum imme-  
diatorum unum adimitur, ei tribuitur alterum: quia enim pilæ  
è manu mea emissa, vel lapis in funda circa centrum circulariter  
rotatus, violenter, & extrinsecè movetur, hinc apparet, lapidem  
vel pilam naturaliter propendere ad quietem: ita ut simul ac  
motus ille extrinsecus desinat, quiescere incipiat: At Stellæ na-  
turalem inclinationem ad quietem non habent, ut patet ex stel-  
larum fine proprio, de quo supra. Falsum ergò est, Planetas à prin-  
cipio extrinseco tantum moveri. Putamus itaq; nos, Stellas om-  
nes à propria, eaque intrinseca forma moveri: quod autem aliæ  
tardius, aliæ celerius moveantur id peculiari stellarum naturæ  
adscribendum esse existimamus: non omnes aves à quæ velociter  
volant, nequæ etiam omnia bruta à quæ celeriter incedunt,  
ut neque pisces à quali natant motus celeritate, ita nec stellæ;

C 2

Deni-

Denique ad tertiam quæstionem respondemus, distinguendo inter motum Stellarum physicè, hoc est, juxta rei veritatem consideratum, & hypotheticè seu mathematicè spectatum: hoc respectu dividi potest in primum & secundum, seu proprium & communem: ita ut motu communi stellæ concipientur spatio 24. horarum ab ortu per meridiem versus occasum, & rursus per meridiani interiorem partem in ortum procedere: motu vero proprio, motu contrario ab occasu versus ortum per meridiem progressi dicantur. Qui motus periodicus ab antiquis nominatus fuit: Quod si vero motus stellarum physicè consideretur, uti à nobis hoc loco considerari debet, unus, isque simplicissimus erit, quo stellæ omnes ab ortu in occasum moventur, qui tamen diversa habet puncta, unde à circulo quem hodie descripsit Sol in cœlo, cras deflectit: hinc geminus ille motus, sed hypotheticus, inquit *Excell. Sperlingius hb. 2. Inst. c. 4. q. 7.* Sic sol sive ab æquatore tendat ad tropicos, sive à Tropicis ad æquatoriem ab ortu quidem ad occasum semper movetur, sed occasus sui ortusque mutat principium; quo fit, ut quod Oriens relinquat punctum, id, 24. horis elapsis, denuo Oriens nunquam attingat.

14.

Magnitudo stellarum duplex est intrinseca sive molis, & extrinseca, sive distantiae: Illa è præcognita earum à terra distanca, & apparentis diametri magnitudine apud Astronomos investigatur: ratione autem physica nos edocemur eas majores esse quam apparent. Evidem si experientia edocti cognovimus grandia quævis corpora ex longa distantia, videri minima, interdum etiam præ distantia magnitudine evanescere plane, cur non idem credemus de Sole, aliisque astris quæ per immensum spatium à nobis distant. Ut ineptus sit *Epicurus* qui Solem tantulum esse voluit, quantulus appareret, ut & *Heraclitus* qui Solem amplitudinem humani pedis non excedere afferuit. Hæc, præcipue, si fixas intelligamus, tanta est, ut eam nemo astronomorum, quounque etiam utatur iuistrumento, accurate & exactè demonstrare poterit: ut mirum sit, quomodo nonnulli eam distantiam determinare ausi sunt 10800 semidiametrorum orbis magni, ut *Galilius*, vel juxta *Alfraganum* 2261  $\frac{1}{2}$  semidiametrorum

ctrorum terræ, unde A. Metius lib. I. c. 2. p. 12. de primo mobil. colligit per 16. propos. lib. 12. Euclid. totum mundum inter concavum firmamenti contentum, habere globiterreni proportionem quam habent 11562340096703<sup>1</sup><sub>8</sub> ad unitatem: cum ipsi fateantur, has stellas non esse remotas æqualiter à Terra, nec eidem superficie concavæ affixas, velut picturas: Sed ut Sol vastum quoddam citra se spatiū habet, in quo nulla stella fixa continetur, ita singularæ fixæ ab omnibus aliis valde remotæ sunt, & unæ multo magis quam aliae è nobis & à Sole distant;

16.

Absolutis Stellarum affectionibus, restat, ut ad earum divisionem progrediamur: Dividuntur Stellaræ in ordinarias & extraordinarias: Ordinariæ sunt aliae fixæ, aliae erraticæ. Stellaræ fixæ dicuntur, non quod clavorum instar orbibus ceu rotis sint infixaæ, sed quia continuò eandem à Terra distantiam retinent immutabilibusque inter se currunt intervallis: accedit quod tardus in meridiem, & Septentrionem carum sit motus, ut vix recte humanae vitæ termino, uno integro seculo vix percipiantur. Harum numerum exactè scire non possumus. Recentiores numerant 1022, quibus aliae 74, à Tychone inventæ, additæ sunt. Sub polo australi plures alias stellas *Fredericus Houtman* in insula sumatra. *Galileus* etiam infinitas alias (de quibus vide tractatum ejus, *Nuncii Syderii*, titulo inscriptum) toti mundo manifestavit, utpote ultra 40 in Asterismo Tauri septem illis, vulgo het Sevengestirnte/adjacentes, & octuaginta alias circumquaque, circa tres istas splendidas in orionis cingulo &c. disseminatas ut & viginti unas alias Nebulosæ in capite orionis adsitæ &c. *Job. Caramuel à Lobkowitz* tamen fixarum omnium sydernæ constellaciones, non nisi puras Solis imagines esse, millies in speculari crystallinæ sphæræ superficie refractas arbitratus est in Epist. ded. ad sublimium ingen. Crucem: observatum etiam est à recentioribus benificio telescopii viam lâcteam sive Galaxiam, Belgæ, Meldweg/ non meteorum aliquod esse, sed infinitarum & exiguarum quasi in tenebris micantium stellarum multitudinem esse, quare splendore candicare videtur, ut loquitur.

C 3

M 3

*Metius*, latus iste ecclii cingulus quæ tamen via lactea una a sui part  
e clarior, candidior latiorque, quam alia, item alibi duplex, ali  
bi simplex, tenditque ab Auriga versus meridiem per Geminos,  
Canem majorem, Argo, remeat in Boream per Scorpionem, Sa  
gittarium, Ophiuchum, Aquilam, Cygnum, Cassiopæam, Perse  
um, donec redeat ad Aurigam. Ad istas exiguae stellas obser  
vandas, suus or sim ut studiosus Astronomiæ instrumentum fabri  
cari sibi curet, quod immobile in superficie terræ collocari  
potest, cui dein Telescopium, vel tubus opticus imponendus  
erit ad stellulas istas obserandas: Exercitatus manu tenere te  
lescopium potest, videat modo, & benè curet, ne manus ejus nu  
et, & vacillet, alias fatigabitur nimis in stellis quærendis. Mil  
le & viginti duas istas stellas Veteres sub 48. asterismis sive con  
stellationibus comprehendenterunt, quibus tredecim alias addi  
dit, Fr. Houtman. Vulgo dividunt Stellas in 1æ, 2æ, 3æ, 4æ, 5æ, &c  
6æ, magnitudinis. Stellas magnitudinis primæ contendunt veter  
es mole sua superare terram centies septies circiter, *Lansbergius*,  
autem vicibus vices mille & quinquaginta tribus sphærâ Ter  
ræ majores eas esse censet. Magnitudinis secundæ veteres vo  
lent octogies septies terram superare, *Lansbergius* vicibus quin  
quages mille, noningentis triginta tribus. Magnitudinis 3æ. ve  
teres septuagies bis circiter terrâ majores esse autem ap: *Lans  
bergius* autem bis mille quinquagies sexagies Magnitudinis 4æ,  
Veteres quinquagies circiter quater, *Lansbergius* vicibus septin  
gentis quadraginta quatuor majores esse putat, Magnitudinis 5æ.  
Veteres tricies semel terra majores, *Lansbergius* contra nonagies  
bis terrâ majores esse contendit, Magnitudinis 6æ. veteres deci  
os octies, *Lansbergius* vero centies circiter, & undecies terram  
superare defendit, ac ostendit. Vana hæc audacia, qua ita stel  
larum magnitudinem determinare volunt *Atlantes* isti, ac si eas  
pedibus permensi essent.

17.

*Planeta.*

Planeta sunt stellæ infra stellas fixas contentæ à cursuum, si  
tuum, & distantiarum variationibus errantes dictæ. Vulgo eo  
rum numerum faciunt 7. Saturnum, Jovem, Martem, Solem,  
Venerem, Mercurium & Lunam: Primus Galileus circa annum  
1609 detectus circa Jovem quatuor alios errores, & postea in Ger  
mania

mania Simon Marius, multique post hos alii: qui tamen accuras-  
tè distingui debent à Pseudojovialibus, quos sub exitum anni  
1642. 9. Decemb. Antonius Maria de Rhei ta in epistola ad Phœtanum  
per scripta Coloniae Agrippinæ gloriatur se invenisse, quos tamen  
jam ante Joh. Hevelius 28 Augosti & postea 4 Septemb. observave-  
rat, Jove in 13. gradu Pisces commorante: Sed eos Planetas  
esse negat Phocylides, contenditque inter fixas eos numerandos  
esse, quæ in Aquarii Signo inter 12. & 13. gradum Pisces versus  
sinistram juxta signorum successionem de novo, Tubi visorii ope  
apparuerant. Supra enumeratos Planetas, primarios vocare pos-  
sumus, cæteros, si qui deteguntur aliobeneficio speculorum, & tu-  
borum opticorum, secundarios: Motum Planetis tribuunt non-  
nulli triplicem: errare enim conspiuntur (1) in longitudinem  
Spæræ fixarum, quæ secundum Eclipticam extenditur. (2) in la-  
tum, sive ad latera bina Eclipticæ versus ejus polos. (3) in altum,  
seu in linea recta à centro visus in profundum ætheris exorre-  
cta. Qui Solem mundi centrum agnoscunt cum Copernico, &  
Cartesio, motum etiam planetarum faciunt annum, & diur-  
num, ita ut circum Solem annuo, circum proprium verò cen-  
trum diurno motu circumrotentur, idque fere eodem evenit  
modo, quo orbis mensarius ligneus, qui superficie aquæ ampli  
vase cententæ, & vehementiori manus, vel baculi motu circum-  
gyrata innatæ, ab ista aqua non tantum in ejus superficie, se-  
cundū interiorem vasis circuitum, circumvehitur, sed etiam cir-  
cum centrum suum isto aquæ motu circumrotatur. Conf. Cl. Regi-  
us cap. 2. fund. phys. p. 59.

## 18.

Extraordinariæ stellæ sunt iterum vel fixæ, vel erraticæ: Fixæ  
observatæ sunt non adeo multæ: notabilis stella est, quæ appa-  
ruit 1572 in Cassiopœa: quam horrenda ista laniana Parisiensis  
in secula est, item quæ 1600. in cygno in corfinio colli & pecto-  
ris notata est. De his & similibus stellis queritur, quæ sit earum  
causa efficiens. Keplerus efficientem earum causam putat esse natu-  
alem, scil. cæli animam. vid. tract. de Stella serpent. l. 24. ubi haec  
verba leguntur. Telluris globus per vim suam vitalem varijs ge-  
neris plantas & animantia gignit intra se, cælesti adjutus calo-

quam

18. ergo hujusmodi gignendi globo cælesto non est adimenda,  
quam in novorum siderum productione per quam commode ex-  
eret, tanquam in procreatione similis. R. Cartesius putat novas  
istas stellas cum cæteris in initio creationis fuisse productas, sed  
maculis tam densis involutas utvisum nostrum plane effugerint.  
Sed haec sententia admitti non potest, cum probabile non sit, eas  
per tot secula delituisse sub istis maculis ut nunquam potuissent  
conspici ab Astronomis. Egregie Tycho Brahe lib. 1. p. 532. Si per  
mediis alicujus interpositionem, subductionemque id fieri po-  
tuit, cur non antea quoque eodem modo tot mundani ævi præ-  
ter lapsis seculis sese exhibuit, iterumque disparuit? cur non  
sæpius in aliis quibusdam stellis id factum est &c. Nos cum Ex-  
cel. Sperlingio ignorantiam nostram hic confiteri non erubesci-  
mus. potuit Deus corpora illa & ex hac & ex ista, & ex alia ma-  
teria producere. Sed an fecerit nunc queritur. vid. lib. 3. instit.  
phys. p. 527.

## 19.

Stellæ erraticæ extraordinariæ sunt Cometæ, quos Aristoteles  
cum suis asséclis putat esse meteora in supremam aeris regionem  
ejecta constantia ex materia elementari, fumo sc. sulphureo bitu-  
minoso sed cometas omnes altioris, & naturæ, & ordinis esse ac-  
curatis demonstrationibus mathematicis demonstravit Tycho  
Brahe: palmarium argumentum desumi solet ex cometarum  
Paralaxi, quæ in Cometarum observationibus Lunari ostenditur  
minor. At corpus minoris paralaxeos longius distat eo quod majori  
paralaxi gaudet, inde etiam sequitur cometas vel supra vel saltem  
propè lunam in celo existere, ibique motus suos exercere, adeo-  
que non elementaris, sed cælestis esse essentiæ, sc. naturæ. Nob. R.  
Cartesius existimat, cometas etiam esse supra Saturnum, & to-  
tum illud spatum quod est inter Saturnum, & Fixas. occupare, ad  
omnes suas excursiones eo melius absolvendas. Neque nos, in-  
quit, mouere debet, quod Tycho, & alii Astronomi, qui diligentiores  
corum Paralaxes investigarunt, dixerint tantum illos esse supra Lu-  
nam versus sphæram venæris aut mercurii, non autem supra ipsum  
Saturnum: hoc enim non minus recte ex suis calculis concludere  
potuiss-

potuissent, quam illud, sed cum disputarent contra veteres, qui co-  
metas inter Meteora sublunaria numerabant, contenti fuerunt o-  
stendere illos in celo esse: nec ausi sunt omnem altitudinem, quam  
calculo deprehendebant, iis tribuere, ne minus facile crederetur,  
*Conf. par. 3. princip. phil. S. 41. p. 83.* *Albumazar* testatur se cometam  
observasse supra *veneris* corpus. *Albateginus* narrat cometam suo  
tempore deprehensum in orbe *veneris*, de *cometa A. 1568* refert *Wil- lielmus Gilberti* in sua *Philosophia nova* lib. 3. c. 4. p. 236. quod supra  
Lunam in Mercurii orbe constituerit,

20.

Quod si igitur cometæ in Æthere moveantur, certum etiam e-  
git eos omnem è terra materiam planè respuere; cui rei fidem facit  
summa cometarum corpulentia, & magnitudo, ut totus terræ ana-  
batus et quacunq; in ea sunt non sufficienti iis vel nutriendis vel cō-  
stituendis quod egregie demonstrat *cl. VVigilius* in *cōm. astr. de co-  
metanovo*. Si noster (intelligit cometā qui superiori anno apparuit)  
saltē ad 114. semid. terrestres elevatus diametro sua visibili Lunæ  
semidiāmetrum æquavit, moles fuit pro qua constituenda globus  
terrestris 65. sui portionem impendere debuisset. Aut si ex aerea  
saltē materia constare cometā quis diceret, parum abesset, quim  
noster ille totum aeris orbem absumperit. Nam si supposita dia-  
metro Terræ 1720, mill. germ. & altitudine aeris secundum *Vitellio-*  
*nem* 13. mill. ita ut diameter atmosphæræ fiat 1746. corpulentia tunc  
terræ solius, cum totius Atmosphæræ secundum *Archimedis* do-  
ctrinam investigatur, deprehenderetur illa, 2665518400, hæc 2787  
67882 mill. germ. Ab hac vero si substrahitur illa, relinquitur cor-  
pulentia sphæræ aeris solius 122349482 mill. germ. Sed cometæ no-  
stri corpulentia supra inventa est 40069253 mill. igitur tertiam aeris  
partem natura insumpfisset ad cometæ caput, aut omnem forsitan,  
partim si majore condensatione opus fuisset, ut omnino videtur,  
partim si aeris altitudo secundum recentiores minor est, quam e-  
lim Veteres putarint. Tycho materiam stellarum putat desumi:  
ex *Galaxia* eo quod ubi stella nova A. 1572. in asterismo Cassiopeæ  
apparuit, hiatus quidam ad quantitatem semiplanez Lunæ in Gala-  
xia visus fuerit, quasi partem substantiæ lactæ generatione novæ  
stellarum sublatam esse palam testatus. lib. 1. Prog. p. 795. Sed conjo-

D.

Bura

Eturæ hæ sunt, inquit Cl. Sperlingius p. 529. quæ nec ipsi Tychonis,  
nec aliis satisfaciunt: cum enim Galaxia innumeris constet stellis  
fixis, sed exiguis, credibile non est, eam vago cometarum corpori  
materiam præbere, ac suppeditare: quantum autem ad illum his-  
tum, quem stella ista evanescens creditur ibi reliquise, dubitat ipse  
Tycho, an antea non exsisterit, incuria Veterum Astronomorum  
non observatus. Nos de cometis idem sentimus, quod de aliis novis  
stellis, Deum nimium gloriosum eorum esse causam efficientem  
unicam & solam. Qui huic causæ primæ secundas addunt, Ecclipses  
Lunares, mutuum stellarum inter se & cum Sole aspectum, qualis  
Martis & Mercurii conjunctio, oppositio, quadratura &c. illi egre-  
gie opera & effecta extraordinaria cum ordinariis confundunt.

21.

Quantum ad varias cometarum species numerantur ex à Plinio  
lib. 2. Hist. nat. r. 35. p. 82. duodecim. sed Thycbo tantam cometarum  
diversitatem non agnoscit. Vulgo duplex notatur cometarum divisio: altera figuram altera motum respicit: secundum illam cometæ in crinitos & caudatos dividuntur: criniti sunt, cum  
splendor æqualiter circa corpus spargitur: & fit illud, quando ter-  
ra stat in linea recta inter cometam & Solem. Caudati cum splendor  
in unam partem excurrit: & hæc cauda interdum recte, interdum  
non nihil incurva est, interdum in recta linea, quæ transit per cen-  
tra cometæ & Solis, interdum non nihil ab ea deflectens, ac deni-  
que interdum latior, interdum angustior, vel etiam lucidior, cum  
nempe radii laterales versus oculum convergunt: juxta hunc im-  
mobiles & immobiles licet quod sciam Astronomi nunquam come-  
tam aliquem immobilem observaverunt, videtur enim illud ipso-  
sum naturæ contrariari ) sed de his, & multis aliis, ut de cometarum  
motu, duratione & prognosticis &c. plura dici & nobis deberent, sed  
quia preter mentem disputatio hæc nimium exerevit, subsistere  
hic cogimur. Videri & consuli interim possunt, R. Cartesius. H. Re-  
gius in fund. phys. Guil. Gilbertus in Philosophia Nova, Keplerus por-  
tantes libros tres de Cometis.

Cap.

**C**um pronis spectent animalia cetera Terram  
Vultibus, & duram passim prosternat in altum  
Tot pecudes, volucrumque genus, tot saecula ferarum,  
Os homini finxit sublime, polos que tueri  
Iussit, & ad Stellas clarissima mania Mundi  
Erectum tendisse saput natura creatrix.  
Te bene, SETHE igitur! quiper celestia curris  
Sidera, quoque meent pacto, remeantque vicissim  
Magnaminorque seræ, quid Luna vel aurea Solis  
Orbita Terrigenis ponat reddatque Salutis,  
Differis, & Doctis tradis feliciter. Euge!  
Euge, bonum factum; Tibi pulpitæ publica grator,  
Et cantis conaminibus precor optima quaque.  
Perge age, non frustra labor hic insumitur, olim,  
Cum tua pro meritis mactabunt tempora Musæ  
Laudibus & Lauris, hoc te meminisse juvabit.

Ita gratulatur ex animo

Daniel Römer, Diaconus  
Witteb.

---

**S**ethe refers patrem pectate & moribus ipsum,  
Serio & in studiis munia patris obis.  
Perge tuam mentem doctas formare per artes  
Ut patriæ & multis utilis esse, queas

Boni affectus ergo scribebat  
Wittebergæ

Johannes Haberlandt Sch:  
oppid. Rect.

Gra

Gratulatio

Ad

Literatissimum ac Præstantissimum, veraq; Sapientia Sacra  
initiatum Juvenem

Dn. MATTHIAM SETHUM

**A**stra petis celi, dum mens tua qvarit in alto  
Sydera, Natura assiduo secreta revelans.  
Gloria nec certò, Serbi tibi magna paratur  
Dum tibi sunt cordi pietas, nostraq; camene;  
Dumq; per ingenuas totus diffunderis artes.  
Urge opus, Ḡ capio Christus benedices ab alto.

M. Job, Frid: Tatinghoff,  
Præses.




Nov. 2000  
80



# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



ONUM PHYSICARUM  
ATIO OCTAVA.  
De  
LLIS,  
o cum DEO  
utilandum publicè placido Eruditorum  
mini proposita.  
RÆSIDE  
E FRID. Tatinghoff  
ausa - Batavo.  
respondente (S.O.)  
IA SETHO  
clov. Boruss.  
J. Z. ven. Feb.  
TEBERGÆ.  
ANNES HAKL. MDC LIII.